

stum Jesum; sed rectius nomen Gentium h. l. in generali sumi-
 tur significatione, ita ut etiam Judæos comprehendat. Nam
 benedictio in Christo, semine benedicto, Abrahamæ promissa, ex-
 tenditur ad πάντα τὰ ἔθνη, v. 8. & in Fonte Hebræo, unde ea
 citat Paulus, Gen. XII, 3. non est vocabulum significans *Gentes*,
 sed *Familias*, hinc Hieronymus vertit; *in te benedicentur univer-
 sa cognationes terræ.* Hic ergo ubi causa & complementum
 istius promissionis explicatur, restringenda ea vox minimè est,
 sed æqualem latitudinem habeat, necesse est, ut rectè observat
 Dn. D. Calovius, Collega noster honoratissimus ac conjunctissi-
 mus in Bibl. Illustr. ad h. l. p. 577. In Christo Jesu *non est di-
 stinctio Judæi & Græci* Rom. X, 12. utpote qui *medium parietem
 maceriæ inter Judæos & Gentes diruit & ex utroque populo unum
 fecit*, Eph. II, 14. Uti itaque pro omnibus gentibus, nationi-
 bus & populis universæ terræ h. e. pro omnibus hominibus
 Christus fieri debuit execratio, ita etiam omnibus hominibus
 per ipsum acquisita est benedictio. Non potuit benedictio h.
 e. justitia, salus & vita æterna in Abrahamo promissa Gentibus
 obtingere, nisi maledictione sublata. Maledictio enim ex pec-
 cato omnibus incumbens omnem benedictionis spem exclude-
 bat, ab illâ ergo Christus nos præstitit tutos, & in hanc repo-
 suit. Benè *Ambrosius* de Esau sive Fugâ seculi cap. VII. *Deus
 ideò suscepit carnem, inquit, ut maledictum carnis peccatrici ab-
 oleret, & factus est pro nobis maledictum, ut benedictio absorbe-
 ret maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam,
 vita mortem.*

§. 18. Per ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος, quidam intelligunt
promissionem spiritualem, ut ita hoc posterius membrum sit exe-
 gesis prioris hoc sensu; Redemit nos Christus à maledictione
 legis, ut in gentes existeret benedictio Abrahamæ promissa, per
 Christum Jesum, ut in quo nos omnes, tam Judæi, quàm Gen-
 tes promissionem illam spiritualem Abrahamæ factam acciperemus.
 Sed *B. Lutherus* Com. poster. in h. l. simplicius & accommoda-
 tius *promissionem Spiritus* de *promisso Sp. S.* exponit. Opponit
 enim Apostolus promissiones Legales & Evangelicas, quarum
 illæ